

tende, charissime, & tolle crucem tuam, & sequere Dominum. Nam
 cum te præsens animadvertentem domesticis curis à divino studio retar-
 dari, ferri te potius & duci à cruce tua, non eam te ferre ac ducere, sentie-
 bam. * *Cruce enim nostra, quam Dominus portare à nobis jubet, ut eum*
expeditissimi sequamur, quid aliud, quàm mortalitatem carnis hujus si-
gnificat? Ipsa enim nos cruciat, donec absorbeatur mors in victoriam.
Cruce ergo hæc ipsa crucifigenda est, & transfigenda est clavus timoris
 DEI, ne solutis & liberis membris reluctanter portare non possis. Se-
 qui enim Dominum, nisi eam portans, omnino non vales. Nam quo-
 modo eum sequeris, si non es ejus? *Qui autem JESU CHRISTI sunt,*
 ait, Apostolus, *carnem suam crucifixerunt cum passionibus & desideriis.* Si
 quid sanè pecuniæ res tua familiaris habet, cujus te implicari negotio
 nec oportet, nec decet, revera tribuendum est matri & domesticis tuis:
 Horum quippe indigentia, si pauperibus, ut sis perfectus, instituisi dis-
 tribuere talia, tui primum apud te locum obtinere debent: *Si quis enim*
suis, & maxime domesticis, ait Apostolus, non providet, fidem negavit, & est
infideli deterior. Quibus ordinandis rebus, si, ut collum exueris indu-
 endum sapientiæ vinculis, profectus à nobis es, quid tibi nocent, aut quo
 pacto te * pervellunt matris lachrymæ fluentes carnem, aut servi fuga,
 aut mors ancillarum, aut fratrum morbosa valetudo? Si est in te chari-
 tas ordinata, sciens præponere majora minoribus, & misericordiâ move-
 ri, ut pauperes evangelizentur, ne messis Domini copiosa, operariorum
 inopiâ, in prædam volucris jaceat, & paratum habere cor ad sequen-
 dum Domini voluntatem, in eo, quod, vel flagellando, vel parcendo,
 agere statuerit cum servis suis, hæc meditare, in his esto, ut profectus tunc
 manifestus sit in omnibus. Obsecro te, ut caveas, ne majorem tristitiam
 des bonis fratribus torpore tuo, quàm lætitiâ alacritate jam dederas.
 Commendate te autem literis, quibus voluisti, tam superfluum putavi,
 quàm si quisquam te mihi eodem modo commendare voluisset.

EPIST. XXXIX.

Augustinus Licentium, juvenem nobilem & doctum, quon-
 dam ipsius discipulum, hortatur ad mundi contemptum,
 utens ad hoc ipsius Licentii carmine, quod olim ad Præ-
 ceptorem scripserat.

Vix reperi occasionem scribendi tibi. Quis credat? Sed mihi tamen
 Licentium necesse est credere. Nolo te causas rationesq; rimari,
 quæ etiamsi reddi possent; fidei tamen, quâ mihi credis, non eas debeo.
 Nam & literas non per eos accepi, per quos possem scripta redhibere.
 Quæ autem petisti, ut peterem, curavi per epistolam, quantum * pro-
 mendum tendum.

* *Al.* Cru-
 cem enim
 nostram
 Dominus,
 quam p.
Matth. 16,
 24.
Psal. 118,
 (119,) 120.
Ad Gal. 5,
 24.

1. ad Tim.
 5, 8.

* *Al.* per-
 vellunt la-
 chr.

Meminit
Possid. sm.
Ind.

* *Al.* pe-
 mendum